



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1351 usque ad annum 1414

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118278**

§. 45. Joannes XXIII. Papa.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66293](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-66293)

tatis contulit: sed & aliis quibusdam Sæcul. XV.  
Germaniæ Præfulibus nimiam potesta- A. C. 1410.  
tem dedit: quæ fraudi erat habentibus  
promissa dignitatum, quæ primæ vaca-  
rent. Denique in permittendis conjugiis  
interdum præter morem adeo laxavit le-  
ges, ut multi fremerent.

## §. XLIV.

*Alexander moritur.*

**H**ærebat continenter Bononiæ, ubi mor-  
bo correptus accitos Cardinales ele-  
ganti sermone Latino ad pacem, concor-  
diam, & dignitatem Ecclesiæ conservan-  
dam exhortabatur; adjungens, se non *Platina in*  
firmius credere, sibi mortem imminere, *Alex.*  
quam omnia Pisani Concilii decreta facta  
esse bona fide ac secundum regulas.  
Triduo post obiit die sabbati 3 Maji anno  
1410, atque in Bononiensi Fratrum Mi-  
norum templo sepultus est. Sedem supre-  
mam decem duntaxat mensibus, & octo  
diebus tenuit.

## §. XLV.

*Ioannes XXIII Papa.*

**S**acrum Collegium tum temporis confi-  
ciebant viginti tres Cardinales, nem-  
pe sex Episcopi, Guido Malefecus Anti- *Rayn. n. 17.*  
stes Prænestinus, vocatus Cardinalis Pi-  
Xx 2 etavien-

Sæcul. XV.  
A.C. 1410.

ctaviensis; Henricus Minutulus Praeful Sabinensis, dictus Cardinalis Neapolitanus; Nicolaus Messanensis Albani Episcopus; Joannes Brognerius Ostiensis Antistes Cardinalis Vivarinus; Antonius Portuensis Praeful Cardinalis Aquilejensis; Petrus Tusculanus Episcopus Cardinalis Aniciensis; novem Cardinales Presbyteri, nimirum Petrus Turcius de S. Susanna; Angelus Laudensis de S. Potentiana; Petrus Hispanus de S. Praxede; Conradus Caracciolum Neapolitanus de S. Chrysogono, Patriarcha Gradinus, Cardinalis Melitensis; Franciscus Ungucio de Quatuor Coronatis Burdigalensis Archiepiscopus; Jordanus Ursinus de S. Laurentio *in Damaso*; Joannes Melioratus de S. Cruce *in Jerusalem* Archiepiscopus Ravennensis; Antonius Calvus de S. Marco; Ludovicus Barianus de Duodecim Apostolis; denique octo Cardinales Diaconi, scilicet Amadeus Salutinus de templo S. Mariæ Novo; Balthasar Cossa de S. Eustachio; Raynaldus Brancacius de S. Vito; Ludovicus Fiescus de S. Adriano; Landulfus Barianus de S. Nicolao; Odo Columnius de S. Georgio *ad Velum Aureum*; Petrus Stefanescus de S. Angelo; & Antonius Challandinus de S. Maria *in via lata*.

Onuphr.  
p. 260.

Septem aberant: ac sexdecim Bononiæ præsentes conclave intrarunt post noven-

novendiales exequias Papæ Alexandri, Sæcul. XV.  
 scilicet inclinante in vesperam die Mer- A. C. 1410.  
curii 14 Maii anno 1410. Cardinalis Bal-  
 thasar Cossa ad pontificatum se neutiquam Th. Niem.  
 aspirare simulans Collegas stimulabat ad Vita Joani.  
 eligendum Cardinalem Melitensem Con-  
 radum Caracciolum Neapolitanum, at-  
 que ita popularē suum. Is erat vir pro-  
 bis moribus, sed tardo admodum ingenio,  
 & litteris aspersus potius, quam tinctus.  
 Rex autem Siciliæ Ludovicus II Andega-  
 vensis magnam tum classem, qua Ladis-  
 laum invaderet, in mari Ligustico habe-  
 bat; & Alexandri mortem edoctus per  
 Legatum Bononiam missum conclave  
 nondum ingressis Cardinalibus, præser-  
 tim Gallis Balthasarem Cossam in suffra-  
 gia commendavit hunc suo molimini  
 præsto futurum sperans. Et vero istum  
 cooptarunt tertio post conclavis ingre-  
 sum die decimo sexto Calendas Junias.

Joannes XXIII nuncupari voluit: &  
 quod Diaconus tantum esset, per Cardi-  
 nalem Vivarinum Ostiensem Episcopum  
 sequente sabbato Sacerdos, postera die  
 Dominica 25 Maii Episcopus consecratus,  
 post sacrificium per Cardinalem Dia-  
 conum Rainaldum Brancasium Neapolita-  
 num ante portam templi coronatus so-  
 lemnam per Bononiæ plateas equitatio-  
 nem ad pompam instituit.